UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, Anno M.DC.LXXXX.

§. IV. De mutatione Ecclesiæ sæcularis, in regularem, & destructione ejusdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-61687

Visual Library

vel servando illi sepulturæ, baptismi, scrutinij &c. jus.

§. III.

Quinam & ex quibus reditibus teneantur Ecclesias reparare?

ECclesiæ parochiales de jure antiquo *in c. 1. & 4. h. t. & arg: c. si Episcopus 6. de off. ordi. in 6.* ex reditibus suis ad fabricam deputatis reparari debent, si tales reditus habeant, vel si reditus tales non habeant, aut non habeant sufficienter, cogi debent Ecclesiarum talium Rectores, & beneficiati, ad contribuendum pro reparatione Ecclesiæ, si reditibus Ecclesiasticis fruantur, & ultra sustentationem necessariam beneficiatis superfit: vel denique in defectum prædictorum parochiani, qui in talibus Ecclesijs divina percipiunt, non tantùm plebei, sed etiam nobiles, cùm omnibus Ecclesia illa servire debeat, & sentire onus debeat, qui commodum sentit. Si verò jus Tridentini attendere velimus *Sess. 21. cap. 7. de reformat.* hic ordo servandus est, ut parochialium Ecclesiarum, quamvis patronatæ sint, si reparari, & refici ea debeant, fiat reparatio ex fructibus & proventibus quibuscunque, ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus, qui si non sint sufficientes, omnes patroni, & alij, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesijs provenientes percipiunt, concurrere tenentur, & in horum tandem defectum parochiani, quacunque appellatione, exemptione, & contradictione remotâ, cogendi sunt. In his tamen omnibus observari debet consuetudo, quæ in primis inspicienda, est, & tenenda: sicuti etiam circa illam quæstionem, quid nomine Ecclesiæ veniat, & utrùm sub ea appellatione etiam veniat domus parochialis: & quamvis Patronus, qui fundavit, dotavit, aut ædificavit Ecclesiam, ad contribuendum pro Ecclesiæ reparatione de jure non teneretur, nisi certam sibi pensionem ab Ecclesia solvendam reservasset, uti facilè ex Tridentini verbis probari potest, attendenda tamen est consuetudo, hac etiam in quæstione.

§. IV.

De mutatione Ecclesiæ sæcularis in regularem, & destructione ejusdem.

QUòd Ecclesia collegiata sæcularis mutari possit in aliam collegiatam seu conventualem regularem cum consensu ordinarij, modò canonicis sæcularibus, qui supersunt, nullum fiat præjudicium, ex *c. ad audientiam §. h. t.* & alibi dictis patet, ac favor religionis, quæ strictior est, quàm status clericorum sæcularium meretur. Destrui tamen non possunt Ecclesiæ (præsertim si consecratæ sint) ut lapides & ligna illarum ad profanos laicos usus applicentur *can. ligu. 38. junct. Gloss. verbo ad profectum Dist. 1. de consecrat.* quod enim semel Deo dicatum est, non est ad usus profanos ulterius transferendum *arg: reg: ſ. de reg. in. in 6.*

TITV-